

mihi nil solutum. Promisit quidem Dominus M. Gregorius Lipsiam sese mihi transmissurum, ut a Domino Eckoldo viro optimo et mercatore Lipsiensium primario accipiam. Ipse Dominus Martius interrogatus omnia referet. Haec dum ago, Magnus Moscoviae Czar de rebus Comicis audiens videre Comoediam havet. Num quis esset, qui id praestare posset, quaesitum. Nemine id audente clam defertur Dominus M. Gregorius Pastor. Hunc comoediam scribere posse dicunt. En nolentem volentem eo adigit vel Czarea clementia vel ex contrario periculum. Scripsit ergo me socium sibi adjungens Tragico-Comoediam Ahasveri et Esthrai, quam et Germanice et Slavonice trium mensium spatio pueros edocui agentes Acta est haec ipsa in die 17<sup>mo</sup> Octobris anni 1672. Quam rem admiratus magnus Czar decem horis immobilis adspergit. Res haec certe melioris fortunae erit initium. Comoedia siquidem acta Magnus Czar et Autori Domino M. Gregorio et Domini Blumentrostii filio, qui in actione primas tenens Excellenter se prae reliquis pueris praestiterat, gratiam et favorem indicat. Hoc ipso die — Nobiliss. Dominus Paulus Menesius Sereniss. Czareae Majestatis Major et Alegatus me sibi volebat socium itineris, mea opera usurus. — Mater Luccaviae vitam vivit maeroris et aerumnarum plenam. Quinquaginta et ultra implevit annos, Vidua jam duodecim. Tugurium vile et agellus unicus ipsam sustentant, ex quo magno labore majoreque cura, quia labori ferendo ob aetatem minime sufficit, tantum non acquirit, ut tributum Principi Clementissimo penset. Nemo etiam est, miseram qui respiiat viduam. Unum minorenem secum habet meum Germanum, pro quo certam pecuniam mechanicum opus Pistoris ut addisceret, dedit. Inde viginti florenorum tributum cumulatum cui solvendo nisi agellum unicum vendat, haud par est. Miserere, Clementissime Princeps, quia digna est miseratione. Remittatur quod hactenus accrevit viginti florenorum debitum. Ita plorans Clementissimi Principis auxilium implorat vidua. (Dresden, 10 März 1673.)

II. M. Gregorij pergit Dresdam, ubi ante ordinatus erat, a Sere-nissimo Electore et Ministerio honorifice excipitur. Augustam dein Vindelicorum ad multos abit Principes, rem felicissime expediens, pecuniam pro Ecclesia cogit. Revertitur cum vitrico Moscouam. Interim dum abest, in perniciem ejus conjurabant malevoli. Vockerod Pastor una cum his criminatorias cudunt literas. Proceribus quibus-dam Ruthenorum insusurrant, Magistrum Gregorij literis et queis nescio donis a Cnesio Romadonowski instructum abisse ad Germaniae quosdam Principes. Proditorem eum esse. Pecuniam colligere pro ecclesia quasi vero Magnus Czar Germanis sustentandis non sufficeret etc. Haec tamen omnia silentio agebantur. Magistrum Gregorii adventantem paratum exspectabat infortunium. Pastor Vockerod a suis asseclis edoctus postulabat, rationem redderet collectae pecuniae, dimidiā partem secum communicaret. Hic hominem miratus proxima sessione Praesidibus Ecclesiae, a quibus missus, rationem de omnibus redditum se dicit. Alter impatiens ipsi maledicit, quasi omnia pro se retenturo. — Magistrum Gregorii in Cancellaria Czareae Majestatis quasi reum accusabant, quam pessimam rem nec verbis nec scripto possum assequi. Intricati huic confusione erant Illustris Cnesius Romadonowski, Baumann Generalis et alii. Tandem res componebatur ita: Relinqueretur locus Pastori Vockerodo. Baumannus Templum quod extruxerat alium in locum pro suo concionatore, Magistro, transferret, Generalis Templum mox in suum hortum transponi curat, vocans suum florem Tulipanum. So-